

Idem Augustinus lib. III. contra Faustum Manichæum cap. 3. factam à Deo nostri adoptionem eleganter sic describit: *iste modus, quò nos Deus, cùm jam essemus ab ipso non nati, sed conditi & instituti, verbò suò & gratiâ suâ genuit, ut filii ejus essemus, adoptio vocatur.* Insinuat eò ipsò, ex creatione hominis à Deo, nostri adoptionem non rectè dici; estq; *preposterum ac præter Scripturæ phrasin, Adamum in statu integritatis dicere fuisse filium Dei adoptivum.* Nam adoptio ubi unq; in Scripturis docetur, constituitur actus Dei Patris, nostri miserentis nosq; dignantis no vò fœdere gratiæ. Quapropter non convenit Adamo primo titulus filii adoptivi, quia adoptio est *no vò juris, ad quod non spectat prima creatio, aut naturæ ex primâ creatione propagatio, à quâ Adamus dicitur Dei Filius Luc. III. 38. & nos Dei genus Act. XVII. 28, 29. ceu Johannes Cloppenburgius de fœdere Dei Disp. I. thes. 40. rectè censet contra Gregorium de Valentia.* Inculcat præterea Augustinus, eam adoptionem in spiritali regeneratione consistere, quod & Thomas Part. Tert. Summæ Theol. Quæst. XXIII. art. 2. annotavit, *dici filium adoptivum & genitum esse propter spirituales regenerationem, quæ gratuita est; unde Jac. I. dicitur, voluntariè nos genuit*

genuit